



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 22. De ijs quæ fecit quarta die.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXII.  
DE IIS, QVAE DIE QVARTAE  
DEUS FECIT,

## PUNCTVM I.

Gene. 1. 24.  
S. Thom. 1.  
p. q. 70.  
Ecclesia in  
Hymno ad  
Vesp. Fer. 4



IXIT DEVS: astant luminaria in firmamento Caeli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento Caeli, & illuminent terram, & factum est

ita; fecit q̄ Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praesset diei: & luminare minus, vt praesset nocti: & stellas, &c.

Sol.

CONSIDERANDA primum est magnitudo beneficij, quod nobis contulit Deus, creando luminare maius, Solem videlicet, perpendicularæ sunt autem eiusdem luminaris excellentiæ, & commoda, quæ ex eis nobis proueniunt.

I.

PRIMA est, magnitudo lucis, quam tanquam eius fons habet, cuius splendor tantus est, vt statim atque oritur mundo, obscurat omnes stellas, quæ in eius præsentia sunt, atque si non essent.

II.

Secunda est, huius lucis perpetuitas, & constantia, vt quæ nec ad momentum vnquam decreuerit, aut in se fuerit turbata.

III.

Tertia excellentia est, magnitudo ipsius corporis,

portis



poris, cuius causa appellatur *luminare maius*. Pereira hic. Nam sexies millies maius est, quàm luna, & centies maius, quàm tota terra.

*Quarta* excellentia est, magna efficacitas eius in toto mundo illustrando, & communicanda sua luce liberalissime in momento, absque vlla resistantia corporum, quæ eius sunt capacia; & ita præsidet tanquam Rex diei, quæ velocissimo suo motu ab Oriente in Occidentem facit, secundum Psalmistam. IV.

HABET præterea admirandam virtutem, & efficacitatem ad calefaciendum, emittens ex se radios, tanquam igneos; & simul habet virtutem influentiarum mittendarum, quæ viuificant, & crescere faciant plantas, & cetera virtute, adiuuans eadem etiam in conseruatione vitæ. V.

*Sexta* excellentia est, quod motu proprio, qui hoc die quarto cœpit, efficit temporum diuersitatem; scilicet Ver, Hyemem, Aestatem, & Autumnum. Diuersitatem quoque dierum, ut alii alius sint longiores, in diuersis temporibus, & locis: facit etiam multiplicationem annorum, nam integer eius proprius motus est quem appellamus annum. In hos ergo fines eum creauit Deus, ostendens Omnipotentiam suam, creando pulchram aded, ingenitamque creaturam in vno momento sola sua voluntate; & propterea Sapiens illum appellat, *et Vas admirabile, & per excellentiam opus Excelsi*. Quotiescunque ergo sol oritur, gratias merito agam eius Conditori, admirans VI.



tantam huius creaturæ pulchritudinem, & constantiam, quam in ortu suo, & cursu ostendit, iuxta illud Davidis: *Tāquam sponsus procedit de thalamo suo, exultat ut Gigas ad currendam viam, à summo Cælo egresso eius, & occur- sus vsque ad summum eius.* O Deus Omnipotens, gaudeo de gloria, quam pulcherrima hæc creatura tibi adfert: millies te laudo propter bonum, quod per eam quotidie nobis largiris. Iustum est Domine, ut quando sol oritur, ego etiam exultem, ut gigas, ad currendam viam, & cursum illius diei, in sancto seruitio tuo, incipiens ab eius ortu, & feruenter perseuerans vsque ad eius, occasum.

Ex hoc pergam ad contemplandum, quod Sol sit symbolum diuinitatis DEI ex quo distinctius, quam ex alijs creaturis, homines illum cognoscunt: & propterea dixit David, quod *Deus in sole posuerit tabernaculum suum*, in quo operatur res stupendas, & in eo inueniet illum, qui quaesuerit, meditando, quas retulimus sex eius proprietates, quæ tamen sine comparatione excellentius sunt in ipsa diuinitate, à qua illæ processerunt. O Deus æterne, Sol iustitiz, inaccessibilis, in cuius præsentia non solum stellæ obscurantur, sed ipse quoque sol; tu es fons luminis, fons perpetuus, qui exauriri non potes: tu homines illuminatos præcipue electos, quibus luce tua, & talem das calorem, & influentias cele-



tes: tu præfides Soli, & Diei; præfides temporibus, & annis, quia tua voluntate sunt distributa eo ordine, & forma, quam nunc habent, Laudent te, Domine, Sol, & Dies, Hyems, & Ver, Aestas, & Autumnus, & res omnes te glorificent, ob eam gloriam, quam in hac creatura nobis manifestas. Ex hoc discam etiam imitari pro facultate proprietates Solis: siquidem anima perfecta dicitur, quod sit *electa, vt Sol*, ob singularem videlicet sanctitatem, quam habet, & in qua constanter, & sine vlla mutatione perseverat, resplendens bonis operibus ad gloriam DEI. Homo enim sanctus, ait Sapiens, in Sapiencia manet sicut Sol, vt lucem, & calorem Spiritus etiam proximis communit.

Cant. 6. 9.

## PUNCTVM II.

Luna.

DEINDE consideranda est magnitudo beneficij, quod nobis contulit Deus creans luminare minus, Lunam videlicet, cuius excellentias ad nostram etiam vtilitatem perpendemus.

I.

PRIMA excellentia est; eius magnitudo, pulchritudo, & elegantia, quam habet, dum Sole recipit lumen, quod non recipit, sed sibi tantum retineat, sed vt terram non illuminet, cui præfidet expellens partem tenebrarum, quas adfert absentia So-

a Psal. 135. 9.

SECVN-



II.

b *Ecol. 43. 8*

SECUNDA est æquabilitas, qua sequitur lo-  
lem ita, vt qua parte recta illum respicit, sem-  
per illustretur; cum in altera (vt ait Ecclesia-  
sticus) *b minuat in consummatione; crescens  
mirabiliter in consummatione*: hoc est decre-  
scit donec consummetur; & mox iterum cre-  
scit donec sit plena: perueniens in veroque  
incremento scilicet, & decremento, vsque ad  
summum.

III.

TERTIA est, magna via, qua pollet ad influen-  
tias, & stupendos effectus in mari, & in viventi-  
bus, quos experimur, quamuis plurimos nec  
assequamur intelligentia.

IV.

b *Ecol. 43. 8*

QUARTA est, quod etiam proprio suo mo-  
tu sit signum aliquorum effectuum, quos effi-  
cit, & varietatis temporum anni, & precipue  
vt ait Ecclesiast, motu suo proprio causa est  
*mensium*, quia plus minus per integrum durat  
mensem.

HIS considerationibus acere debet in  
me affectus laudis, & gratitudinis erga Deum  
Dominum nostrum, ob creationem adeo pul-  
chre huius creaturæ, & ob commoda, quæ  
liquæ ex ea percipiunt.

c *Cant. 8. 9.*

PERGENS vero ulterius, contemplans  
quod luna sit symbolum, signumque pulchritu-  
dinis animarum sanctarum, quas Deus ex-  
pellat c *pulchras vt lunam*, quarum pulchritudo  
do, & splendor consistit in aspiciendo semper  
infinitum solem diuinitatis, & in accipiendo  
ab eo luce, & splendore diuinæ ipsius gratiæ  
donorumque ac virtutum eius; procuratur



proficere tum in decremento suo, per vilem  
 scilicet sui æstimationem, donec perueniat ad  
 cognitionem nihili illius, quod ex se habet,  
 & propriæ obscuritatis; tum etiam in aug-  
 mento virtutum vsque ad plenitudinem gra-  
 tiæ, & consummationem, ac perfectionem in  
 ea. O Sol iustitiæ, à quo lunæ pulchritudo de-  
 pendet, da mihi, tali feruore te sequi, vt sem-  
 per crescā augmento tuæ gratiæ, & profun-  
 da cognitione meæ miseriæ: Ne permittas me  
 lunam imitari, *d sicut stulti, qui vt illa imitan-*  
*tur à splendore virtutis, ad vicij obscurita-*  
*tem; sed vt cum Sole manens in hoc constans*  
*muter semper de bono in melius, e ascendens*  
*de virtute in virtutem, donec perueniam ad*  
*immutabilem glorię tuæ statum, vbi te videā,*  
*et fruar sine fine, Amen.*

*d Eccl. 27. 12*

*e Psal. 83. 8.*

PUNCTVM III.

TERTIO considerandum est magnum be-  
 neficium, quod nobis contulit DEVS  
 in creatione stellarum, perpendendo  
 earum excellentias, & admirandos effectus.

Stellæ.

PRIMA excellentia est, earum multitudo,  
 quæ apud homines est innumerabilis, sicut a-  
 renæ maris, quamuis Deus ipse gloriatur se  
 earum numerum nosse, & nomina tenere, iu-  
 ra illud Davidis; a *Qui numerat multitudi-*  
*nem stellarum, & omnibus eis nomina vocat; &*  
*in tot sint, adeoque pulchræ, & aliquæ ea-*  
*rum ingentis magnitudinis, in vno tamen mo-*  
 mento omnes creauit, & firmamento infixit,

L

*a Psal. 146.*

*4. Jerem. 31. 22*

miro



miro ordine, & dispositione; sicut esse solet exercitus militum, & acies castrorum ordinata. Et ideo scriptura acies cœlestes appellat, quia vnaquæque locum, & stationem suam constantissimè seruat, *b nec in suis vigilijs deficiunt*, constituentes inter se admirandas figuras, aliis cum aliis *c ordine* (vt ait Iob) ab earum Creatore dispositis, de quo ipse gloriatur.

*b Iob. 38. 31.*  
*33.*  
*c Eccl. 43. 11*

II.  
*d Psal. 135.*  
*9.*

SECUNDA excellentia est, quòd simul cum luna *præsint* (vt ait David) *nocti*, & nos illuminent, sintque duces itinerum, & navigationum, exornentque vehementer ipsum Cœlum, cum apparent in obscuritate noctis, iuxta illud Ecclesiastici; *species Cœli, gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.*

*e Eccl. 43. 10*

III.

TERTIA excellentia est; quod omnes, & singulæ earum mirabiles demittant influentias in terram, in viuentia, & in homines. Quæ influentiæ, quamuis nobis sint occultæ, non tamen propterea desinunt esse viues, atque idcirco ita gratias Deo debemus propter occultas, sicut propter manifestas, quia vtrasque ad nostrum commodum direxit. Ideo ait Ecclesiasticus, *obediunt ad iudicium, & obediunt verbis sancti* faciunt, quæ illis sunt præscripta, quia *quæ dormiunt, nec deficient in vigilijs suis.* Baruch Propheta addit, quòd vocata a Deo *dicunt: adsumus. & lucent cum iucunditate in obsequium eius, qui fecit illas.*

*f Eccl. 43. 11*

*Baruc. 3. 53*



Hoc totum occasionem, & causam mihi  
 præbet, Deū laudandi, procurando in gratia-  
 rum actionem, pro hoc beneficio, prædictas  
 stellarum proprietates imitari, quia sunt  
 symbola animarum iustarum, illarum præ-  
 cipue quæ vitæ exemplo, & verbo do-  
 ctrinæ alios virtutem docent. iuxta illud  
 Danielis; *Qui ad iustitiam erudiunt multos,  
 quasi stella in perpetuas aternitates fulgebunt,*  
 Gracis tibi, Creator amantissime, ob pul-  
 chritudinem innumeris stellis communica-  
 ram, quas in Cælo admirabili ordine dispo-  
 sisti, dans singulis proprium locum pro-  
 prium splendorem, & proprium officium. O  
 quanto erit admirabilior exercitus stella-  
 rum, quas habes in supremo Cælo, quas eo-  
 dem ordine, & dispositione collocas, locaque  
 sua singulis distribuis, iuxta merita, quæ ha-  
 buerunt in terra. Concede mihi, Domi-  
 ne, esse stellam in Ecclesia militanti, cu-  
 todientem stationem meam, sicut decet  
 fidelem militem, non deficientem in vigi-  
 liis meis, sed tuis præceptis cum læticia  
 parentem, vt lucens hic ad tuam gloriam  
 magnum promerear locum in Ecclesia  
 Triumphante, tecum reguans  
 in æternum. A-  
 men.

Dan. 12. 3.



## PUNCTVM IV.

**Q**VARTO est considerandum, quod Deus Dominus noster, postquam erat factum hoc opus, vidit quod esset bonum, & complacuit sibi in eius perfectione.

I.

a Sap. 13. 2.

ET perpendendum, quod cum esset tanta elegantia, & pulchritudo solis, lunæ, & stellarum, homines rudes eo perueniunt, ut a existimarent esse Deos, & Rectores orbis terrarum, iudicantes tantam bonitatem, & perfectionem, non nisi in Deo esse posse. Sed hoc ipsum ad duos excellentes effectus, nos permouere debet.

PRIMVS est admirationis de omnipotentia magni huius Dei nostri. nam qui pulchras aded efficere potuit creaturas, erit sine dubio incomparabiliter pulchrior, & admirabilior illis: & ut ait Sapiens, *Si harum species adeo nos delectat, multo magis delectare debeas species, & pulchritudo ipsius Creatoris, si per eas eum cognosceremus.* O Deus supremus, *speciei generator, ne permittas ita homines coecari splendore solis, cum eum vident fulgere; aut luna, cum vident incidere in claritate; osculentur manum suam ore suo; in signum admirationis, quæ esset iniquitas maxima, & negatio contra te Deum altissimum.* Aperi Domine illorum oculos, ut intelligant: illa omnia sed opera manuum tuarum, quæ enarrant, & annunciant gloriam tuam; & solem esse tabernaculum tuum, in quo te debeant inuenire.

b Sap. 13. 3.

c Iob. 31. 26.

d Psal. 135. 7. 6



vt laudent & glorificent, tanquam DEVM,  
 à quo & sol ipse, & reliquæ procefferint.

II.

SECUNDVS affectus erit amoris ma-  
 gni erga eum, qui nobiles aded & pulcher-  
 rimas creaturas in vsum nostrum creauit,  
 quæ opera sua, instar famularum, aut ancil-  
 larum, nobis seruirent; ita enim Moyses dice-  
 bat populo; e attende ne fortè eleuatis occu-

*cDent. 4.19*

lis ad Cælum, videas Solem, & Lunam, & o-  
 mnia astra Cæli, ab errore deceptus, adores ea,  
 & colas, qua creauit Dominus DEVS tuus in  
 ministerium cunctis gentibus, qua sub Cælo  
 sunt. O DEVS Omnipotens, & amantissime,  
 quis te non diligit ex toto corde, propter  
 ea quod excellentes aded creaturas creau-  
 eris, & ad obsequium adeo abiectarum gen-  
 tium destinaueris? neque enim ad Regum  
 tantum obsequium, sed vilissimorum etiam  
 mancipiorum, & quod maximum est, et-  
 iam peccatorum, & hostium tuorum eas ad-  
 dixisti. O DEVS altissime, qui quod in-  
 firmamento cæli collocasti, ad vsum gen-  
 tium, quæ sub illo degunt, destinasti: con-  
 cede mihi, vt propter hoc beneficium ad-  
 ed seridè te diligam, vt nunquam in tuo ser-  
 uicio deficiam in æternum. Amen.

PUNCTVM V.

Ignis.

QVINTO consideranda est, admiranda Dei  
 prouidentia, in creatione elementi ig-  
 nis. quamuis enim S. Moyses huius ele-  
 menti mentionem non fecerit, quia solùm res

VI. Part. Med. f corpo-



corporeas, quę sūt spectabiles, retulit; hoc aut elementum in sphaera sua talis non sit; cōmodè tamen perpendemus hic magnitudinē & magnificentiam beneficij, quod accepimus in hoc igne visibili, quo utimur, qui Soli est valdè similis.

**I.** NAM primùm ignis supplet vicem Solis, & Lunę, noctu intra domos nostras, & in ipsis penrealibus præstat officium Solis, luce sua nos illuminās, qua facere sub noctem possumus, quę in die lumine solis faceremus.

**II.** DEINDE etiam supplet solis distantiam in hyeme, quia suo calore ad se accedentes ita calefacit, vt frigus expellat, & corpus, frigore quasi emortuum, viuificet.

**III.** TERTIÒ communicat se etiam inftar solis liberaliter; & facilè, nulla diminutione sui, vt apparet in lumine candelę quod plures alias accendit, & accedentes etiam calefacit.

**IV.** QUARTÒ est vniuersale instrumentum, & valdè efficax ad coquendum, & condiendum cibos, quibus vescimur; ad purificanda itē, & aptanda metalla. Idem siccitate sua humiditatem cōsumit; emollit, & liquefacit res duriores, aliosque admirandos effectus producit, in nostrum commodum; propter quę glorificandus est Creator, & agendę illi gratię ob suę prouidentiam, qua prouidit ad eò accommodato medio necessitatibus nostris, cuius misericordię infinitę attribuēda sunt omnia opera quartę huius diei, sicut fecit David, dicens

a Psal. 135.  
1.7.

a *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam*



in æternum misericordia eius: qui fecit lumina-  
ria magna. Solem in potestātē diei; quoniam in  
æternum misericordia eius Lunam, & stellas in  
potestatem noctis; quoniam in æternum miseri-  
cordia eius: & ignem vt suppleret absentiam  
solis, & lune, & pro eis luceret nobis in nocte,  
quoniam in æternum misericordia eius, quæ  
in suis electis est sine fine duratura, Amen.

HINC pergam considerare, quod etiā ignis,  
sicut sol, symbolum sit diuinitatis. sicut per-  
pendimus in meditationibus de Aduentu Spi-  
ritus S. nunc verò addemus, quàm sit familia-  
re, & proprium nostri Creatoris supplere de-  
fectus creaturarum, & subuenire auxilio suo  
diuino, quando recedit, & deficit nobis huma-  
num; & quàm liberaliter communicet se ipse,  
instar ignis, omnibus ad se accedentibus. quã-  
libet dixit Dauid; *b Acceditē ad Deūm. & il. b Psal. 33. &*  
*luminamini, & facies vestra non confundentur.*  
Gratias tibi, o ignis infinite, ob duplicem ig-  
nem, corporalem, & spiritualem, quibus &  
corpora nostra, & animas recreas. Accende,  
quæso, meam igne tui amoris, vt instar ignis  
ascendat in altum diuinitatis tuæ, cui  
perfecta vnitione coniungatur  
in æternum. A-  
men.

